



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Concio quarta ad clerum in eadem synodo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

ad luxuriam incitarent: nec verò hic cōstituit res, sed ardor luxuriæ in flamas erupit, & ex ea q̄ olim vxor sua fuerat, filiū cōcepit: cui totus consusus Genebal dus, latronis nomen imponi voluit. Sed q̄ male cautū suscepit cōsiliū: nimium n. honori suo solens consulere, p̄cipit m̄ieri, nè à sui visitatione desisteret, ne qua populis tam subitā auersionē vidēti bus suspicio eius, quod latebat hoīes, sed non Deū, peccati oriretur: Vnde iterum miser in peccatū cecidit, & nata est ei filia, cui Vulpecula nomen imposuit. Tā dē aspiciente ipsum, eo qui Petrum asperḡerat & ad amarissimas lachrymas impulerat, agnouit & defleuit peccatū suū Genebaldus, & tactus cordis dolore gravissimo, Remigiu orauit, vt ad se quam primū accederet. Cui, cū venisset, in se creto cubiculo cum lachrymis & contritione maxima aīc suę plágam aperuit, stolam ei reddere volēs, ac sese Episcopatu priuare. Cūm verò diuti⁹ ambo flesissent: cepit tū illum S. Remigius consolari, nè de diuina misericordia desperaret, sed p̄nitentia peccatū delere studeret. Tum in p̄nitentiam eum reclūsit in mansiuncula facta ad modū se pulchri per 7. annos, illic vt p̄niteret, panem suum cum cinere, & lachrymis sumens. Vbi in continuo fletu, & oīonibus, tam dem 7. anno, in vigilia feriæ quinta in Cœna Domini, cūm in oratione pernotaret, & seip̄si defleret; quōd is qui ad hoc ordinatus fuerat, vt die illo p̄nitentes Deo reconciliaret, ipse suis criminibus exigentibus, nec inter p̄nitentes in Ecclesia mereretur consistere: Apparuit illi Angelus Dñi, nancians ei remissum esse peccatum, & fores aperiens, salvo sigillo quod apposuerat foribus Archiepiscopus, & eum egredi mandans. Sed recusauit egredi Genebaldus, donec Remigius qui eū incluserat, abire preci peret: insuper addens, q̄ nec si Domin⁹ Iesus ad ipsum accessisset, inde esset egressus, donec Remigium vidisset, quōd ēt, monitus ab Angelo Remigius accessit, & maximo cū gaudio pristinæ illum restituit administrationi, q̄ etiā postea sanctissimā vitam duxit. Quid vobis videtur fratres de huiusmodi viro? ò quā multa hiuc discere potestis. Sed discite,

discite; nunquam de vobis ipsis nimis credere, discite q̄ periculosa sit mulierū cohabitatio, etiā agnatarum, & consanguinearum: discite, quā periculoso sit peccati initia non tollere, sed in ijs persistere; discite, quā integrè sit vobis, Episcopis vestris & Prelatis obediendū; plorate demum aliquando & vos ipsos deflete, qui ad reconciliādos alios Deo & iustificandos ordinati, plerāq; Deo ipsi, peccatis vestris id efficientibus, estis exosi.

Faxit Deus opt. max. dilectissimi fratres, literis ferreis hæc quæ hodie diximus scribantur in cordibus nostris, vt nunquam nostris animis excidant; sed semper cum timore & tremore solliciti pariamus in nobis, & in subditis nobis, ac conseruemus Dominum Iesum: Cui fit honor & gloria per infinita saecula. Amen.

CONCIO IIII.

Ad Clerum in Synodo Diocesana. XI.



L A M A T parturiens, & cruciatur vt pariat. Adhuc pergit, dilectissimi fratres & filij, sancta mater Ecclesia in suo illo intenſissimo affectu, in doloribus suis & cruciatus, in accenso illo & ardentí desiderio parturiendi & eautriandi Christum in cordibus nostris, & filiorum suorum. Idcirco, adhuc clamat, adhuc voces in cœlum emitit, & meritò quidem; Tam enim animaduertere potuistis ex ijs q̄ hactenus superioribus diebus diximus, quot habet contradictiones suū hoc desideriū: innumera sunt quæ conceptum impedunt; non desunt, quæ licet concipiāt, partu obstent nè in lucem prodeat; partu verò iam enixo quām multa insidiātur: pericula sunt à partu, & ab utero, & à conceptu. q̄ si enutrierit filios, periculum maximum adhuc est, nè aut eos tenellos serpens deglutiat, aut miserè pereant. Quid ut clamet igitur quidnam

crn-

eructetur hæc mulier? hæc mater? hæc Ecclesia? Verum præter hæc omnia iam dicta, quæ plurima sunt, & maxima, vnum adhuc restat malum, cui nisi succurratur, præterit omnes diligentia suo frustrabuatur fine, labores omnes irriti erunt; quidquid elaboratum & factum fuerit, id totum erit vanum. Hodie synodo finis imponitur: Ideo opportunè qd hoc sit breuiter iam videamus, nè in vanum totos hos dies laborauerimus; tum quo spiritu, quove animi affectu, hinc recedentes ad propria singulos redire oporteat, animaduertamus.

Elisæus propheta Domini [ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est:] cumque maximis hic semper populum omnem beneficijs affecisset, essetq; nota omnibus eius vitæ integritas, ægerrimè id omnes ferebant, tali ac tanto se Patre priuandos, cuius precibus toties iram Dei auerterant: [Descendit verò ad eū Iosas Rex Israel, & flebat coram eo, dicebatq;: Pater mi, Pater mi, Currus Israël, & auriga eius,] qui veluti Currus hunc populum semper portabas, & veluti auriga, eum ducebas per viam mandatorum Dei. [Et ait illi Elisæus: Affer Arcum, & sagittas. Cumq; attulisset ad eum Arcum & sagittas, dixit ad Regé Israël: Pone manum tuam super arcum: Et eum posuisset ille manum suam, superposuit Elisæus manus suas manib; Regis, & ait: Aperi fenestram Orientalem. Cumque aperuisset, dixit Elisæus: Iace sagittam, & iecit: Et ait Elisæus, sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam: percutesq; Syriam in Aphec, donec consumas eam. Et ait; tolle sagittas. Qui cum tulisset, rursum dixit ei: percute iaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus, & stetisset, irat^o est vir Dei contra eum, & ait: Si percussisses quinques, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam usque ad consummationem, nunc autem tribus vicibus percutes eam.] O qualia mysteria hoc Elisæi facto Spiritus sanctus nobis proponit. quid Elisæus infirmus ad morrem repræsentat, nisi Christum Iesum in Cruce pendente, proximum morti? si descendemus nunc, quotquot adsumus hic, ad ipsum, & quid nam diceret audiremus; quales

nam obsecro eius essent voces, putatis? non aliæ profectò, nisi ò sacerdos, ò Paroche, Accipe arcum & sagittas, accipe verbum Dei, accipe sacramenta: & persecute terram, firmissimè statue, peccatum omnino exterminare in te, & in alijs: ne timeas, quia manibus tuis meas ego superponam, quibus quæ tibi difficultia vindicentur & impossibilia, ego iucundissima reglam atque facilissima: hic est partus spiritualis, & masculus atque perfectus, de quo per singulos hos dies ad vos verba fecimus: sed quid præsertim iam Deus requirit? Perseuerantiam videlicet, quæ debet vniuersa concludere, quæ sola palmam merebitur, & coronam recipiet. Indicit perpetuum bellum huic partui serpens antiquus, Draco ille Infernalis; perpetua ei etiam est diligentia resistendum. Ceciderunt muri Iericho quidem ad tubæ sonitum, sed quando? septima vice completa, postquam septies tubarum clangor sicut auditus. quid septenarius ille numerus perfectus, nisi diligentiae ac fortitudinis perpetuitatem designat? Quis obsecrò fratres quidpiè aggreditur, nisi eo fine, vt ad præfixum finem opus adducat? num faber aliquid suscipit faciendum, quod siue sit artis, nisi debitā in formā redigere statuat? Miles, an domo sua egreditur, an parentes & agnatos relinquit, an procul a patria & ab amicis ad bellū recedit, nisi vt belli finē expectet? Ducet ergo nauim nauita per maria, mille procellas & fluctus superabit, vt in medijs consistat aquis, & ad nullum vñquam portū perueniat? Absurdum profectò atque ridiculum' est hoc credere, omnia siquidē siue quæ a natura sunt, siue quæ hominum arte ex cogitantur, aut fiunt, ad finē tendunt, nec cōsistunt donec eū assèquātur. [In hoc,] fratres, omnes homines, sed nos potissimum Ecclesiastici, [positi sumus, ad summationem sanctorum;] non vt incipiamus aliquam vitæ mutationem, aut morū correctionē, & illuc quiescamus, sed vt exhibeamus nos, & eos qui nobis commissi sunt, viros pérfectos, [in mēsuram ætatis plenitudinis Christi.] Hic scopus Ecclesiastico viro præfigendus est suis omnibus in actionibus. Intuemini fratres admirandā capit̄ nostri

H &

Pars III.

& Dux Christi Iesu persequerantiam in opere redemptionis nostrae perficie-
do, nullos ipse labores intermisit, nihil non fecit, nunquam cessavit, donec pendens in Cruce, & animam efflans dixit: [Consummatum est:] Nos sanguinis illius tam copiosè effusi ministri sumus, nos gratiarum illarū è latere ipsius pro fluentium dispensatores; & eius constan-
tiam ac perseverantiam non imitabimur? Cauete fratres, & caueamus omnes, nè cum dolore dicere cogatur de nobis Christus: [In vacuum laboravi, vanè & sine causa fortitudinem meā consumpsi:] frustra his sacerdotibus ego sum natus, frustra prædicavi, frustra vocavi, in vanum sanguinem profudi, in vanum & sine causa sum mortuus, fortitudinem meam vt quid consumpsi? Cauemus, nè dicat hoc idē sancta mater Ecclesia, frustra clamaui parturiens, in vanum cruciata sum vt parerem, frustra laboravi vt hos partus enutrirem, ad quid tot sy-
nodos feci, tot Congregationes, tot de-
creta promulgavi? omnia suo fine fru-
strata sunt, quia sine fructu hi suscepérunt hæc omnia. Nè obsecro iustissimis his querelis causam demus; alias [durissimū iudicium fiet cum his qui præsunt;] re-
quiret de manu nostra sanguinem suum Dominus Iesus, & animarū quæ perevit; requiret eorum quæ nobis distribuit ta-
lentorum rationem: & non quidē ea sim-
pliciter recipere erit contentus, sed cū maximo fēnore exiget, vt de eo nostis qui nam abiens abconderat, satis superque se facturum ratus, si quod a Domino suo acceperat, hoc idem ei integrum, & non multiplicatum restituisset: Vnde & ligatis manibus & pedibus mis-
sus est in tenebras exteriores. Mihi cre-
dite, quia omnes hæ synodi, hæ moni-
ta, quæ in vnum collecta vobis heri &
hodie perlecta sunt, omnia hæc adiuncta, vos accusabunt, & in iudicio adver-
sum vos consurgent, & duritiem vestram
puniri ac vindicari a iustissimo Iudice postulabunt: sic Moysi Dominus præcipiens, vt librū legis in Arca reponeret, [vt sit] inquir, tibi in testimonium cōtra te,] sicut & contra nos hæ ordinatio-
nes & decreta pugnabunt. Neque vero temerè confidamus, quod Ambrosium

sanc̄tissimum Pastorem nostrum, q̄o d Geruasium & Protasium inclites mar-
tyres, q̄ tot sanctos Episcopos habuerimus, quorum sacra corpora pretiosissi-
ma pignora eximiae illorum in nos cha-
ritatis apud nos in Civitate hac, & per
vniuersam Diocesim tam numerosa af-
seruentur; nam & perfidis illis Hebreis
gloriantibus q̄ patrem haberent Abra-
ham, & de Moysē plus a quo confidenti-
bus Dominus dixit, [est Moyses qui vos
accusat.] Quod & idem nobis de patro-
nis illis nostris dicendum putemus. Id-
eoque animum assumamus & vires, &
non contenti concepisse, nec contenti pe-
perisse, nec solum deliberantes partum
enutrire, & promouere, statuamus etiā
in finem usque persequerare.

Eia ergo fratres mei, gaudium & cor-
ona mea, iam dimittemini ad Ecclesias
vestras, processionem instituemus, vna-
nimiter omnes ad Deum preces funde-
mus, agemus pro felici synodi successu
bonorum omniū largitori gratias: Quē
ego fructū ex his omnibus perceperimus? Epilogum constitutionum omnium ha-
ctenus q̄ditarum legi audiuimus, ex hac
ergo lectione quem spiritum hausimus? quomodo sumus animo afficiend? Primus fructus legendi legem antiquitus,
erant lachrymae & planctus. Helcas sa-
cerdos librum legis in Templo Domini
multos ante annos amissum repere-
rat, deditque Saphan scribā, qui & hoc
Iosiā Regi piissimo retulit: Quem cum
legisset Saphan coram Rege, & audisset
Rex verba libri legis Domini, in La-
chrymas prorupit, & præ dolore scidit
vestimenta sua, dicens: [magna ira Do-
mini succensa est contra nos, quia non
audierunt patres nostri verba libri hu-
ius, vt facerent omne quod scriptum est
nobis.] Alias quoque legente Esdra in 2. Esdriz
platea librum legis coram omni populo,
omnes amarissimè flebant: legis enim
lectio, & fletus, pari ambulante paſſu. Et
quis non videat, quanta nobis in lectio-
ne hac lachrymarum occasio fuerit o-
ſtenſa? quā multa nostræ negligentia
& omissiones detecta?

Hoc secundo loco ardorem maximū
in nobis debet accendere, ac zelum, vt
statuamus in posterum, integrè & exa-

cte

Et quæcumque nobis præscripta sunt,
observare, & quæ nunc deflere cogimur,
cauere ne ulterius plorare cogamur; sed
animo generoso ac nobili, non timore
committarum peccatarum: qui spiritus
est, quem in omnibus vobis esse deside-
ro, de quo initio me dicturu proposui:
Ut nempe Deo propter ipsum solū ser-
uire statuamus; sit solus ipse amoris sui
causa, finis, & præmium. Missas iam fa-
ciamus ingentes consolationes, eternas,
& temporales, quas se diligentibus dat;
omittamus infinita quæ nos ad Deo ser-
uendum impellunt: Hoc vno solū ve-
lim ducamur, ad hæc omnia, & multò
plura ac maiora facienda, ac perferen-
da, quia Deus est, pro quo laboramus;
Deus cui seruimus: & quis tanti Domini
magitudinem exprimat, quis mente
comprehendat tantam eius benignita-
tem, qua non dedignetur a nobis coli, &
amari? Isaías cum Dei maiestatem vi-
disset in spiritu, hoc vno solo compul-
sus, exarsit miro desiderio semper Deū
laudandi; unde & prorupit, dicens, [Vx
mihi quia tacui: quia vir pollutus labijs
ego sum:] hinc tantā ille concepit prom-
ptitudinem ad diuinæ obtemperandum
voluntati, vt se exhiberet paratum ad
omnia quæcumq; illi præciperentur; di-
cens: [Ecce ego, mitte me.] O si confide-
raremus & nos, quis sit Deus iste qui
nos dignatur aspicere, cui tam gratu est
quidquid pro animarum salute fit; quā
auidè & promptè curreremus omnes, di-
centes, Domine, [Ecce ego, mitte me,]
in Rhetos, in montes, in loca pauperi-
ma, in eremos & sylvas, vbi nec panis,
nec aqua sit, vbi non nisi barbari homi-
nes, & impijissimi tyranni, corpus meum
dilacerare parati, reperiantur. Ibo quo-
cumque volueris, modò tibi gratum esse
comperiam; nullum aliud præmium ex-
peto, nisi te ipsum, & gratiam tuam.
Esto, sint illic labores intolerabiles su-

stinendi, sit paupertas acerbissima fer-
da, sim in summa rerum omnium egesta-
te & inopia per mansuetus; hoc vno ta-
men me consolabor, q[ue] licet nigra] futu-
ra sim, ero tamen [formosa]; & licet sim
[fusca, decolorauerit tamen] me, o Do-
mine mi, Amoris tui sacrosancti, qui es
Iustitiae sol, radius splendidissimus. Et
quid magnum faciam, licet nobilis, &
diues, ac delitosè enutritus, si pro tui
amore omnibus me ipsum abdicauero?
O fratres, o filii, fecit multò plura, & pas-
sus est pro nobis Dei filius: quis illum
decolorauit? quis [speciosum forma pre-
filiis hominum,] in talēm statum ade-
git, vt non [eset ei species neq; decor,]
nisi nostri amor? Amori ergo amorem
repandamus; Infinitos illius labores, ali
quibus laboribus nostris compensare ne
pigeat. Si te, o dulcissime Iesu, qui cras
splendor æternæ gloriae, hæ animæ de-
colorarunt; quidni & nos decolorent?
Non ijs sumus nos, qui tibi deseruire in
aliquo digni sumus, aut possumus, neque
enim bonorum nostrorum indiges; sed
[sanctis tuis qui in terra sunt, mirifica-
bis omnes voluntates nostras in eis:] qd
tibi non possumus, hoc in animabus ti-
bi adeo charis præstabilimus. Neq; enim
aliud fratres amantissimi, amoris huius
signum ostendit ei quem toti Mido pre-
fiebat Dominus Iesus, Petro inquit,
nisi animarum amore: Petre (inquiens)
iteratò, & tertio, [amas me?] pafce oues
meas:] quasi diceret: In hoc cognoscam
quod a te diligas, si paueris oues meas.

Det Dominus Deus nobis & vobis
omnibus semper hunc sanctissimum spi-
ritum, vt vbiunque fuerimus, quilibet
vocationem nostram sectantes, operum
umnum nostrorum regulam, finem, ac
scopum, Deum solum proponamus; quæ
si consecuti fuerimus, cum illo pariter
omnia in æternæ felicitatis beatitudi-
ne consequemur. Amen.

